

SUPREMO TRIBUNALE DELLA SEGNETURA APOSTOLICA, Prot. n. 27795/97 C.A. N, *Revocationis missionis canonicae* (Rev.dus X - Congregatio de Institutione Catholica), 24 Marzo 2001.*

Prot. n. 27795/97 C.A.
Revocationis missionis canonicae
(Rev.dus X – Congregatio de Institutione Catholica)

IN NOMINE DOMINI, AMEN

Ioannis Pauli PP. II anno Summi Pontificatus XXIII, die 24 Martii a. 2001,

SUPREMUM SIGNATURAE
APOSTOLICAE TRIBUNAL

videntibus Em.mis ac Rev.mis Mario Francisco Card. Pompedda, Praefecto, Bernardino Card. Gantin, D. Simone Card. Lourdusamy, Ioanne Petro Card. Schotte, Gilberto Card. Agustoni, Ponente, atque Exc.mis ac Rev.mis D.nis Iosepho Mercieca, Iuliano Herranz, Philippo Giannini, Aemilio Eid, Eduardo Davino, Henrico Mussinghoff, Francisco Coccopalmerio, Thoma Georgio Doran, et Xaverio Echevarría Rodríguez, hanc tulit

SENTENTIA DEFINITIVA

in causa N, *Revocationis missionis canonicae*, Prot. n. 27795/97 C.A., inter
recurrentem Rev.dum X, repraesentatum per Cl.mam Adv.tam M. Wegan, et *resistentem* Congregationem de In-

* A seguito del testo e della relativa traduzione della sentenza, si può consultare il commento di GIOVANNI PARISE, *Revoca della missione canonica di insegnamento e risarcimento dei danni. Commento alla sentenza definitiva del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica Prot. N. 27795/97 C.A.*

stitutione Catholica una cum Exc.mo Magno Cancellario Universitatis Catholicae N, repraesentatam per Rev.dum H.-M. Stamm, OFM,

interveniente Rev.mo P. F. Daneels, o.praem., Promotore Iustitiae,

respondens recursui ad Hoc Supremum Tribunal interposito, ad normam art. 123, §§ 1 et 2, Const. Ap. "Pastor bonus", adversus decisionem qua Congregatio resistens die 15 Septembris a. 1997 confirmavit decretum quo Exc.mus Magnus Cancellarius Universitatis Catholicae N, die 26 Iunii a. 1996, Rev.do X missionem canonicam revocavit et consequenter Rev.dus Rector eiusdem Universitatis, die 2 Iulii a. 1996, contractum laboris cum Rev.do X initum sine praevia denuntiatione solvit.

EVOLUTIO CAUSAE

1. Rev.dus Doctor X, sacerdos archidioecesis Y, die 7 Octobris a. 1986 a Rev.mo Rectore Universitatis N ad triennium nominatus est "a ricoprire la carica di professore associato... presso la Cattedra di Diritto Penale Ecclesiastico dell'Università Cattolica di N (KU vel CU). Triennio exacto, idem Rev.mus Rector, posthabito voto parum favorabili tum Consilii Facultatis tum Commissionis ad hoc, litteris diei 31 Decembris a. 1989 cum Rev.do X communicavit "che il rapporto di lavoro con il Rev.do Dottore si trasforma in modo che dal 27 settembre 1990 il Reverendo Dottore prende il posto di professore associato assunto presso la KU a tempo indeterminato".

Anno insequenti, attento nunc voto favorabili Consilii Facultatis ac Commissionis, munus professoris adiuncti prorogatum est et anno 1992, obtenta s.d.

"habilitatione", ad tempus indeterminatum firmatum est.

Sane mutuae relationes inter Rev.dum X et Decanum Facultatis Iuris Canonici et Civilis necnon Rectorem Universitatis, Rev.dum Z, interim Episcopum ad sedem W evectum, inde ab initio haud pacificae fuerunt et in peius verterunt duobus peculiariter in adiunctis.

Prima vice anno 1994, quando Decanus apud Magnum Cancellarium instituit ut missio canonica Rev.do X revocetur.

Rector Universitatis vero, "sempre confidando che i richiami rivolti al Rev.do X tanto dal Gran Cancelliere che da me, lo avrebbero indotto a modificare il suo modo di agire", tunc ad ulteriora non processit, dum Rev.dus X asserit se validis argumentis Decani dolosas suasiones evacuasse.

Altera vice mense augusto a. 1995, Rector Universitatis, ad instantiam Decani Facultatis, novam proceduram disciplinarem adversus Rev.dum X promovit, cum in fraudem legis in favorem cuiusdam discipuli egisset.

Rev.dus X vero, mense februario a. 1996, Magistratum civilem adivit ad denuntiandas calumnias quas Decanus Facultatis contra semetipsum pronuntiasset. Magistratus autem provincialis mense aprili a. 1996 confirmavit reiectionem querimoniae a Magistratu districtus decisam: "Il procuratore distrettuale ha archiviato il procedimento, rifiutando di dare inizio alla fase istruttoria, in quanto riteneva, in base al materiale a sua disposizione, che i reati denunciati non fossero [stati] commessi".

Hae anteactae contentiones in praesenti disceptatione considerandae non sunt, sed opportune recoluntur, quia animum Rev.di X tradunt.

Novissimam occasionem contendendi adduxit iterata electio Rev. di Q ad munus Decani Facultatis die 12 Iunii a. 1996, quam Rev. dus X coram Rectore Universitatis utpote fraude vitiatam accusavit. Res etiam divulgata est in actis diurnis Ecclesiae infestis.

Huius rei pertaesi, 30 vel 32 inter docentes Facultatis Iuris Canonici et Civilis, die 24 Iunii a. 1996 ad Exc. mum Magnum Cancellarium scripserunt: "... Il contenuto dell'articolo è composto per molte parti di citazioni da una lettera indirizzata dal Rev. Dr. X al Magnifico Rettore... La diffusione di notizie false sia a mezzo stampa che per radio nel periodo in cui avviene il reclutamento agli studi, comporta un danno enorme al buon nome dell'Università e causa distruzione nell'ordinato funzionamento della Facoltà di diritto canonico e statale della nostra Università. Ci rivolgiamo a Sua Eccellenza con la richiesta di supporto, ai fini di fare fronte alla pericolosa situazione in cui è venuta a trovarsi in seguito a ciò la Facoltà di diritto della nostra Università".

Tunc Exc. mus Magnus Cancellarius Universitatis N, die 26 Iunii a. 1996, decretum dedit quo missio canonica Rev. do X revocata est, ac die 2 Iulii insequenti Rector Universitatis etiam contractum laboris cum Rev. do X absolute solvit.

2. Decretum revocatae missionis canonicae sero, idest die 9 Octobris a. 1996, Rev. do X notificatum est, quia vacationum ac infirmiae valetudinis causa abfuerat.

Vix accepto decreto, apud eiusdem auctores instituit ut revocaretur et per literas diei 19 Octobris a. 1996 Vice-Praesidem Conferentiae Episcopalis R necnon Praesidem "della Commissione per gli

Affari della Scienza Canonica" adivit ad Conferentiam adigendam, ad normam can. 1733 CIC, ut compesceret graviores iuris violationes a Decano in damnum Universitatis patratas, et insimul conciliarent revocationem decreti impugnati, quia id in poenam illatum fuisset.

Elapsis triginta diebus, die 19 Novembris a. 1996 Rev. dus X recursum hierarchicum competenti Congregationi Curiae Romanae exhibuit, quae tamen respondit sententiam "Consilii Scientifici Episcopatus R", quod ipse invocaverat, esse exspectandam.

Sed praeproperus Recurrens, inter moras, die 29 Ianuarii a. 1997, per Vice-Rectores Universitatis actionem contra Rectorem Universitatis apud "Ministero della Pubblica Istruzione" ausus est, quae tamen opportune impedita est.

Exinde Senatus Academicus Universitatis sessionem extraordinariam convocavit kalendis february a. 1997, ad eiusmodi rationem agendi considerandam.

In declaratione conclusiva Recurrens accusatur quod "in base a dichiarazioni non rispondenti al vero e ad errate interpretazioni giuridiche accusa Sua Magnificenza il Rettore della KU e indirettamente anche Sua Eccellenza... il Gran Cancelliere... della supposta illegalità della risoluzione del contratto di lavoro..."

Et concludit: "Il Senato ha riconosciuto che le attività del Magnifico Rettore in detta questione sono state giuste, conformi al diritto... Il Senato Academico ha interamente disapprovato ed ha con dolore accolto la notizia riguardante il fatto che un chierico abbia rivolto accuse contro il Rettore Magnifico presso le autorità laiche..."

Spreta huiusmodi gravi conclusione, Recurrens praefatam epistulam, die 30 Maii a. 1997, Congregationi de Educatione Catholica examinandam transmissit.

Die 14 Aprilis a. 1997 Congregatio de Institutione Catholica Rev.do Recurrenti iam notificaverat "decisionem circa praedictum recursum... prorogandam esse per alios duos menses, ultra tres a can. 57 C.J.C. ad providendum praescriptos..", quia documenta nonnulla colligenda erant, dum Rev.dus X, nimis in defendendo suum ius praeoccupatus, acriter impugnavit litteras H.S.T. Secretarii qui, attenta prorogatione de qua supra, cum Recurrente communicavit quod "in casu ad hoc Supremum Forum adversus silentium competentis Congregationis recurri nequeat ante diem 25 Iulii 1997".

Interim Exc.mus Praeses Consilii Scientifici Conferentiae Episcopatus R:

a) die 10 Martii a. 1997 Rev.do X notificaverat quod: "Il Consiglio non ha giurisdizione in tale tipo di conflitti... È difficile comunque immaginarsi che il Reverendo rimane nell'ambiente dove si trovava fin adesso... Non esistono anche, come è stato espressamente sottolineato, le basi per mettere in dubbio la fondatezza della decisione dell'Arcivescovo di N, Gran Cancelliere della KU;

b) die 15 Aprilis a. 1997 ad competentem Congregationem litteras dedit, quibus declaravit non esse competentiae Consilii Scientifici, sed: "Cum tamen rogati sumus, ut votum nostrum D.no X praestaremus, hisce praesentibus declaro nos sententiam Archiepiscopi N secundum legem et statuta Universitatis Catholicae N datam dixisse".

3. Quibus litteris cum adnexis receptis, Congregatio de Institutione Catholica, animadverso quod: "Se è vera l'interpretazione del ricorrente, si sono già verificati i presupposti perché cotesto Supremo Tribunale esamini il ricorso in via definitiva", die 10 Maii a. 1997 acta causae ad hoc Supremum Forum transmissit, quibus die 6 Iunii insequenti addidit Magni Cancellarii et Rev.mi Rectoris Universitatis exquisitas notitias.

Rev.dus X die 25 Augusti a. 1997 recursum adversus silentium competentis Congregationis coram hac Signatura Apostolica prosecutus est, at Exc.mus H.S.T. Secretarius confestim illum monuit de procuratore-advocato constituendo, deque cautione pro expensis deponenda, quam, attenta condicione oeconomica in R vigenti, ad 800.000 lib. ital. reduxit.

Praeterea, instante Recurrente, termini recursus a die 28 Octobris ad diem 15 Decembris a. 1997 prorogati sunt.

Interim vero Congregatio de Educatione Catholica, quae ad normam can. 57 § 3 utcumque tenebatur ad respondendum, die 15 Septembris a. 1997 hanc edidit decisionem:

"... 1. Viso decreto... quo Exc.mus Archiepiscopus N, Universitatis Catholicae N Magnus Cancellarius, Rev.do D.no X missionem canonicam revocavit; 2. Cum compererit Rev.dum D.num X rite admonitum esse; 3. Ratione habita § 23, 1, 6 et § 61, 4 Statutorum eiusdem Universitatis tunc vigentium; 4. omnibus de re ab utraque parte adductis attente consideratis, haec Congregatio de Institutione Catholica, DECLARAT revocationem missionis canonicae Rev.do D.no X... illatam, ad normam iuris factam esse ac proinde esse legitimam".

4. Frustra revocatione praefatae declarationis ab ipsa Congregatione efflagitata, Rev.dus Recurrens, die 13 Decembris a. 1997, recursum adversus relatum declarationem coram H.S.T. prosecutus est ac insimul petiit: a) ut hoc Supremum Tribunal suspenderet executionem impugnati decreti; b) ut dispensaretur "dall'obbligo di costituire e di agire tramite un procuratore-avvocato", necnon c) ut legere posset "la totalità degli atti raccolti nella sede del Supremo Tribunale della Segnetura Apostolica".

Ad instantiam decretum est: ad a) a limine reicitur; ad b) non conceditur, et Cl.ma Martha Wegan constituitur procuratrix-advocata ex officio pro Recurrente; ad c) conceditur, ea tamen sub conditione, ut prius iure iurando promittat (cf. can. 1368) se scientia ita acquisita tantummodo usurum esse in ordine ad ius defensionis coram hac Signatura Apostolica exercendum".

Restitit Recurrens decisioni, eiusdem revocationem petens, sed Congressus H.S.T. diei 11 Martii a. 1998, instanti respondit: "in decisis".

Quapropter fortiter ipse tum Em.mum Praefectum, tum Exc.mum Secretarium H.S.T. ob "illicite macchinazioni procedurali" recusavit, et immediate ad "Plenaria Congresso" (sic) provocavit.

Instantia recusationis ad normam iuris ad Summum Pontificem transmissa, Em.mus Cardinalis Secretarius Status, epistula diei 10 Iunii a. 1998, Supremum Tribunal certius fecit "che il Santo Padre, in data 8 giugno corrente, ha respinto l'eccezione, per assoluta mancanza di fondamento", atque nova petitio Rev.

di X ut res ad "Plenaria Congresso" (sic) mitteretur, quia "considerari non potest", per decretum reposita est.

Cl.ma Patrona Recurrentis ex officio die 18 Aprilis a. 1998 memoriale pro admissione recursus ad disceptationem exhibuit, plures protendens violationes legis in procedendo et in decernendo; Rev.dus Patronus Congregationis necnon Exc.mi Magni Cancellarii CU die 16 Maii a. 1998 memoriale quoque pro reiectione recursus praesentavit et Promotor Iustitiae H.S.T. die 30 Iulii a. 1998 suum prompsit votum.

Tunc Congressus diei 7 Octobris a. 1998, omnibus ad modum consideratis, decrevit recursum ad disceptationem coram Em.mis ac Exc.mis Iudicibus esse admittendum.

Itaque die 28 Octobris a. 1998 hoc dubium concordatum est:

"An constet de violatione legis in procedendo et/vel in decernendo relate ad declarationem qua Congregatio de Institutione Catholica, die 15 Septembris 1997, confirmavit decretum quo Exc.mus Magnus Cancellarius Universitatis Catholicae N, die 26 Iunii 1996, Rev.do X missionem canonicam revocavit et consequenter Rev.dus Rector eiusdem Universitatis, die 2 Iulii 1996, contractum laboris cum Rev.do X initum sine praevia denuntiatione solvit;

et subordinate, si et quatenus constet de violatione legis in casu, an et, si affirmative, quaenam et quomodo Rev.do X damna exinde passa sarcienda sint".

Eadem occasione nactus, Promotor Iu-

stitiae exquisivit ultiores notitias ac documenta ab Exc.mo Magno Cancellario. Cl.ma Patrona Recurrentis quoque quaedam documenta et explicationes adduxit, ac posthac iteratis instantiis petiit ut nova documenta exhibere posset, usquedum, die 7 Septembris a. 1999, declaravit id fieri non posse.

Memoriale pro Rev.do Recurrente die 4 Decembris a. 1999 et illud pro Auctoritate ecclesiastica die 11 Aprilis a. 2000 exhibita sunt. Promotor Iustitiae votum pro rei veritate exaravit die 11 Augusti a. 2000; Cl.mi Patroni partium responderunt die 15 Septembris et 15 Novembris a. 2000. Promotor Iustitiae tandem die 9 Decembris a. 2000 votum definitivum pro rei veritate obtulit.

Quibus omnibus ad normam iuris praehabitis, Nobis prostat causa decidenda. Sententia vero ordinem concordati dubii sequetur: idest primo loco de adsertis violationibus legis, secundo de damnis reparandis.

IN IURE ET IN FACTO

5. Cum agendum sit de revocatione missionis canonicae oportet breviter recollere leges sive iuris universalis sive peculiaris Universitatis N in re.

Ius universale continetur praesertim in Constitutione Apostolica Sapientia christiana Ioannis Pauli II, diei 15 Aprilis a. 1979 (AAS 71 [1979] 469-499) atque in Ordinationibus ad exsequendam Constitutionem Apostolicam a Congregatione de Institutione Catholica die 29 Aprilis a. 1979 editis (AAS 71 [1979] (500-521). Ius vero particulare continetur in Statutis Universitatis Catholicae N anno 1992 a Congregatione de Educatione

Catholica approbata ad quinquennium et ad experimentum.

Ad nostram quaestionem quod attinet, praefata Constitutio Apostolica art. 2 § 2 statuit: "Missionem canonicam a Magno Cancellario, vel ab eius delegato, accipere debent, professione fidei peracta, qui disciplinas ad fidem vel mores spectantes docent; non enim propria auctoritate docent, sed vi missionis ab Ecclesia acceptae.

Ceteri vero docentes a Magno Cancellario, vel ab eius delegato, veniam docendi accipere debent"; Ordinationes vero in art. 8 habent: "Ad Magni Cancellarii munus pertinet... 5° veniam docendi vel missionem canonicam docentibus conferre vel auferre ad normam Constitutionis". Quae praescripta concinne inveniuntur quoque in can. 812: "Qui in studiorum superiorum institutis quibuslibet disciplinas tradunt theologicas, auctoritatis ecclesiasticae competentis mandatum habeant oportet", ibique extenduntur, praeter Universitates, ad instituta quaelibet catholica superiorum studiorum (cf. can. 818).

Praefatae leges promiscue utuntur verbis "missio canonica" et "mandatum docendi": immorandum ergo non est in his investigandis, sed potius extollenda est necessitas conferendae sive missionis canonicae vel mandati docendi ita ut, his revocatis, docentes amovendi sint a munere.

Super amotionem a munere docendi vel revocationem missionis canonicae, nuper memorata Constitutio Apostolica, in art. 30, b, mandat omnibus Universitatibus vel Facultatibus ecclesiasticis ut

statuant "quales ob causas qualique procedendi modo [docentes] a munere suspendi vel etiam eo privari possint, ita ut iuribus tum docentis, tum Facultatis vel Universitatis, imprimis eius studentium, necnon ipsius communitatis ecclesialis, apte provideatur".

Nam paulo supra, in art. 26 § 1, legitur: "Omnes cuiusvis generis docentes vitae probitate, doctrinae integritate ac muneris diligentia iugiter praediti sint ut ad finem Facultatis Ecclesiasticae proprium efficaciter conferre valeant".

Quibus verbis ex una parte perspicue asseritur missionem canonicam vel mandatum docendi concedenda esse candidato recta integraque doctrina necnon honestate vitae instructo; ex altera parte declaratur quod sive missio canonica sive mandatum docendi iure revocari possunt ab auctoritate quae illa contulerunt, non tantum ob causas quae doctrinam, sed etiam v. gr. famam Universitatis vel Facultatis, vel concordiam inter studentes et professores attinent.

Idque confirmatur in art. 22 § 1 Ordinationum ad exsequendam Constitutionem Apostolicam, ubi legitur: "In Statutis accurate definiatur ratio procedendi cum de suspensione vel dimissione docentis agatur, praesertim ob causas doctrinam respicientes": ubi illud "praesertim" insinuat quod, praeter doctrinales, aliae causae dantur, ob quas missio canonica auferri valet, quin gravitatem delicti prae se ferant.

Ius peculiare Universitatis N in capite Constitutionum recipit ius univer-

sale. Legitur enim in § 2, 2: "Universitas... legibus canonicis et praescriptis, quae aptis Apostolicae Sedis documentis continentur, regitur"; deinde in § 3, normae legis civilis de scholis superioribus recipiuntur "nisi aliud haec statuta constituent"; et in § 2, 4 habetur: "Universitatem nomine Potestatum Ecclesiasticarum Magnus Cancellarius ipse prospicit", qui, ad normam § 23, 1. 6, "confert missionem canonicam praeceptoribus academicis qui disciplinas ad fidem et mores spectantes docent, necnon veniam legendi aliis praeceptoribus, et si necessitas impellat, missionem vel veniam aufert".

Constitutiones Universitatis in § 52, 2 agunt de obligationibus quae docentium vitae rationem quoque extra mœnia Universitatis afficiunt. Doctrinam catholicam fideliter profiteri tenentur, mores vitae catholicae servare oportet, officia sua accurate adimpleant atque bonum Universitatis curent.

Qui has obligationes, quae cum munere docendi coalescunt, transgrediuntur, servatis servandis, ab officio removeri possunt.

6. Instat e contra Cl.ma Patrona ex officio Recurrentis in Memoriali diei 4 Decembris a. 1999 (nn. 21-24) quod in casu agitur de decreto poenali, verbis innixa Voti Promotoris Iustitiae: "utique agi potest de actione vere poenali", omissis vero quae statim sub 15/c idem Promotor addidit:

"Experientia huius Supremi Fori docet amotum ab officio saepe erronee contendere agi de poena (sine delicto et sine vero processu poenali) imposita.

Ad rem notandum est amotionem imponi posse etiam... ob causas quae ius canonicum requirit pro amotione ab officio", idest praeter delicta. Evidenter in casu hic idem irrepsit error: sane citatae Ordinationes in art. 22, §§ 2 et 3, modum procedendi proponunt qui aperte indolem controversiae administrativae obtinet.

Nam sive ius universale sive peculiare Universitatis statuunt missionem canonicam revocari posse ob motiva que nullo modo gravitatem delicti prae se ferunt atque revocatio missionis canonicae vel muneris docendi rationem non habent legis poenalis: etenim potestas procedendi ad amotionem a munere auctoritati non iudiciali sed executivae tribuitur.

Normis igitur prout iacent in textu atque contextu consideratis, nullum est dubium quod in casu de actu administrativo singulari non poenali agitur. Verba "suspendere" et "privare" non sunt absolute sumenda, eo vel magis quod neque in CIC semper sensu stricto poenali usurpantur; item in Constitutione Apostolica Sapientia christiana, praeter "suspendere" et "privare", etiam de "ablatione muneris" (auferre) et de dimissione, loco privationis, sermo est.

Tandem in casu Nostro subiecto examini, allata motiva revocatae missionis nullo modo speciem delicti praetendunt. Exinde argumenta ex iure poenali deprompta nostram controversiam non tangunt; ideoque incondite Patrona ex officio Recurrentis conqueritur, vi can. 1353 CIC, neglectam instantiam suspensionis decreti impugnati.

Item quaestiuncula circa significationem verbi R ["privazione"] eiusque versionem in "auferre" fundamento caret: verbum "auferre" enim invenitur in textu Ordinationum ad exsequendam Constitutionem Apostolicam qui, latina lingua exaratus, fidem facit.

Ne quaestio principalis eundo ob molestum zelum defensionis Recurrentis confusione obscuratur, haec in limine enodare opportunum visum est, ut tuto iam ad solutionem propositi dubii procedere valeamus.

7. Ad revocationem missionis canonicae per decretum Magni Cancellarii quod attinet, ius proprium Universitatis N peculiari attentione est considerandum, quia implicat etiam solutionem contractus laboris inter Universitatem et docentem.

In examinanda igitur quaestione sedulo distinguendum est inter ipsum decretum a Magno Cancellario latum quo revocatur missio canonica et consectaria eiusdem, scilicet solutionem contractus laboris.

Ad primum dicendum est quod, attentis hucusque expositis, Magnus Cancellarius absque dubio potestatem habet revocandi missionem canonicam, servatis tamen de iure servandis. Nam sive Constitutio Apostolica Sapientia christiana (art. 30 b) sive Ordinationes ad exsequendam Constitutionem (art. 22) mandant motiva, propter quae missio canonica seu licentia docendi revocari possunt, et modum procedendi esse describenda in statutis, seu lege propria uniuscuiusque Universitatis.

Iamvero Exc.mus Archiepiscopus N, qui et Universitatis Magnus Cancellarius, die 26 Iunii a. 1996 decrevit: "Sulla proposta del Magnifico Rettore dell'Università Cattolica di N e del Decano della Facoltà di Diritto Canonico e Civile presso l'UC, dopo aver esaminato la questione, prendendo in considerazione l'inefficacia delle ammonizioni date fino adesso dalla Autorità universitarie ed indirizzate al Sacerdote, nonché le lagnanze ripetibili [ripetute] che pervengono al Gran Cancelliere dell'UC, in base all'art. 27, § 1 della Costituzione Apostolica del Papa Giovanni Paolo II "Sapientia Christiana" sulle Università e Facoltà ecclesiastiche, ed inoltre al § 2 comma 4, e § 23 comma 1 p.to 6, nonché al § 61 comma 4 dello Statuto dell'Università Cattolica di Lublino, come pure in base al canone 810 § 1 del Codice di Diritto Canonico – tolgo al Sacerdote la missione canonica".

8. Imprimis Patrona ex officio Recurrentis plures violationes legis in procedendo ex parte Exc.mi Magni Cancellarii denuntiat: quasdam circa modum procedendi in ferendo decreto, alias e contra circa ommissa vel neglecta iuris praescripta super decreta singularia.

Constitutio Apostolica Sapientia christiana et Ordinationes ad eiusdem executionem spectantes mandant ut in iure proprio uniuscuiusque Universitatis determinentur: "quales ob causas quaeque procedendi modo [docentes] a munere suspendi vel etiam eo privari possint" (Const. Ap., art. 30); "In Statutis accurate definiatur ratio procedendi cum de suspensione vel dimissione docentis agatur" (Ord. 22 § 1).

Dolendum est quod in statutis Universitatis N mandata Sedis Apostolicae de causis ob quae v. gr. missio canonica revocari possit, ac de modo procedendi in revocatione decernenda, servata non sint: alte enim silent.

Qua re repetitam violationem legis conqueritur Patrona ex officio Recurrentis: deficiente enim lege particulari, saltem praescripta iuris universalis, idest Ordinationum ad exsequendam Constitutionem Apostolicam erant servanda, ubi expresse describitur modus procedendi illis in adiunctis.

Docet enim art. 22, § 2: "Curandum est ut imprimis res privatim componatur inter Rectorem vel Praesidem vel Decanum et ipsum docentem. Si res non componatur, res opportune tractetur a Consilio vel Commissione competenti, ita ut prima facti examinatio in ipso Universitatis vel Facultatis gremio fiat.

Si non sufficiat, res deferatur ad Magnum Cancellarium, qui cum viris peritis, sive Universitatis, vel Facultatis, sive externis, rem consideret, ut oportune provideat. Patet vero recursus ad Sancta Sedem.." ..

Et § 3 de casibus urgentioribus agit: "Attamen, in casibus gravioribus vel urgentioribus, ut studentium et fidelium bono provideatur, Magnus Cancellarius docentem ad tempus suspendat, donec ordinaria ratio procedendi concludatur". De his vero in actis ne vestigium quidem invenitur. Constat ergo de violatione legis in procedendo ex hoc capite.

Quoad violatum ius super decreta singularia, contendit Patrona ex officio praescripta CIC B idest cann. 50 et 51 - in decreto Magni Cancellarii Universitatis N violata esse.

Praecipit enim can. 50: "Antequam decretum singulare ferat, auctoritas necessarias notitias et probationes exquirat, atque, si fieri potest, eos audiat quorum iura laedi possunt". Ideo scite Patrona Recurrentis Magnum Cancellarium legem violasse autumat, quia "in ferendo decreto diei 26 Iunii 1996 sufficientes notitias et probationes non exquisivisset, nec eos audivisset quorum iura laedi possunt" (Memoriale d. 4 Decembris a. 1999, n. 19, ubi evidens lapsus calami irrepsit: legendum est "in procedendo" loco "in decernendo").

Censemus neutram violationem sustineri. Ad primum, quia lex nihil habet circa modum exquirendi notitias "necessarias" colligendique probationes. Cum vero pluribus ex documentis apprime constet Magnum Cancellarium satis superque edoctum fuisse circa controversiam - nullo modo a posteriori, sed antequam decretum amotionis a munere docendi dedit - nullam patravit violationem legis in procedendo.

Ad alteram partem canonis 50 quod attinet: iuxta legem tantum "si fieri potest" illi sunt audiendi quorum iura laedi possunt; praeterea in casu probandum esset quod revocata missio canonica Rev.di X iura Exc.mi Archiepiscopi Y violasset, qui iuxta Cl.mam Patronam audiendus fuisset.

9. Asserit tandem Patrona ex officio Rev.do X ius defensionis denegatum esse. Quae assertio absolute sustineri nequit, sed aequo lance est perpendenda. Ius defensionis quod in iure naturali innititur, prout meminit cl.ma Patrona, adversus decretum Exc.mi Magni Cancellarii amplius concessum est, cum tradita iurisprudencia doceat in recursu administrativo non dari verum contradictorium.

Iam vero pluribus ex documentis patet Recurrentem iure defensionis adversus illud decretum fuse functum esse. Ita v. gr. per epistulam diei 19 Octobris a. 1996 ad Exc.mum Vice-Praesidem Conferentiae Episcoporum R et ad Praesidem Commissionis "per gli Affari della Scienza Canonica" datam, per quam petiit "di intervenire al vertice della Conferenza... e di mediare in merito alla revoca dal Rev. Arcivescovo A, il Gran Cancelliere della KU, del decreto del 26 giugno dell'anno corrente, in base al quale mi è stata ritirata la missione canonica nella Facoltà del Diritto Canonico e Laico della KU. Ed è stato sciolto con me il contratto di lavoro senza disdetta (dopo 12 anni di lavoro) di cui il Rev. Rettore mi ha informato con la lettera del 12 ottobre del corrente anno".

Defensio parum efficax evasit quia sive Conferentia Episcopalis, sive "Commissione per gli Affari della Scienza canonica" suam incompetentiam declaraverunt.

Patet e contra meridiana luce Magnum Cancellarium universale principium cuiuscumque controversiae, nempe "audiatur et altera pars", neglexisse: nullum enim vestigium invenitur in documentis quod ipse arcesserit Recurren-

tem ad illum audiendum, antequam decretum amotionis dedit. Ex hoc tantum capite igitur ius defensionis, non ergo absolute, denegatum esse dicendum est.

Obiter ad rem meminisse iuvabit quod leges de recursu hierarchico (cann. 1737-1739) interventum advocati non imponunt; si vero Superior eiusmodi patrocinium necessarium aestimet, advocatum ex officio constituere potest. Ratio est quia in recursu contentioso-administrativo non datur verum contradictorium, utpote nuper advertimus; e contra lex propria H.S.T. interventum requirit advocati, saltem ex officio dati.

10. Aliam violationem legis in procedendo obiecit Patrona ex officio Recurrentis quoad modum quo decretum amotionis a munere docendi datum est. Apte distinctis, prout supra diximus, ipso decreto revocationis ab eiusdem consecrariis, ad rem perpendenda sunt sive statuta Universitatis N, sive lex R, quae in § 3 statutorum Universitatis legislationem civilem super scholas superiores recipit, addita clausula "nisi aliud haec statuta constituent".

Conlatis igitur iis quae in § 23, 6 et in § 61, 4 statuta sunt, Magnus Cancellarius potestatem habet auferendi missionem canonicam.

Attamen, cum amotio secumferat cessationem operae, Magnus Cancellarius prae oculis habere debet, una cum § 61 statutorum Universitatis, etiam legem civilem, quia utraque de ineundo et de cessatione contractus laboris agit.

§ 61 art. 1 iubet omnes, qui in Universitate operam praebent, contractum seu locationem operarum adhibere, "congruis praescriptis ecclesiasticis et civilibus servatis, necnon normis quae a Senatu sunt constitutae".

In art. 3 circa solutionem contractus laboris habet: "Solutio vel cessatio operarum locationis cum iis qui in art. 1 enumerati sunt, fit in casibus de quibus in legibus et Statutis CU agitur"; ac in art. 4 addit, circa privationem missionis canonicae ex parte Magni Cancellarii Universitatis: "Locatio operarum cum iis, qui disciplinas ad fidem vel mores spectantes docent, solvi potest sine renuntiatione, missione canonica a Magno Cancellario ablata".

Lex civilis diei 12 Septembris a. 1990, quam Universitas recepit "nisi... statuta aliud constituent", retrahenda ad illos quoque praeceptores qui antea nominati sunt, in art. 93, 3 e contra decernit: "Il rapporto di lavoro con il docente universitario nominato per un periodo indeterminato, può essere sciolto alla fine dell'anno accademico, anche a causa di altre ragioni importanti, in base alla decisione dell'organo competente, dopo aver avuto il permesso dell'organo collegiale indicato nello statuto dell'università", dummodo decisio solvendi locationem communicetur tempestive, idest servato sic dicto "periodo di preavviso" sex mensium.

Illud "organo collegiale", in § 67 statutum, est Commissio disciplinaris a qua recursus patet ad Senatum: "1. In casibus gravioribus, si munera rite non

impleantur, praeceptor academicus respondet coram commissione disciplinari a Senatu constituta ad normam Legis de scholis superioribus. 2. A decisione huius commissionis patet recursus ad Senatum, qui ultima instantia est".

His attente rimatis, patet quod solutio contractus laboris ex parte Rectoris Universitatis postquam missio canonica revocata est, vi § 61 quae "aliud constituit" ac lex civilis recepta, casum exceptum constituit.

Nihilominus modus procedendi ad ferendum decretum, quo missio canonica aufertur, servandus est sive iure universalis sive iure particulari statutus, qui e contra in casu deficit, utpote fuisse supra probatum est.

Qua re etiam solutio contractus laboris inter Universitatem et Recurrentem absque denuntiatione et protina cessatio remunerationis violationem legis secumfert, quia consequitur decretum nefas revocationis missionis canonicae, ob violatam legem in procedendo.

11. Violatio legis in procedendo ex can. 51 CIC, quam asserit Patrona ex officio Recurrentis, quia in decreto singulari motiva decisionis saltem summarie erant exprimenda, peculiari attentione a Nobis perpensa est, quia non semel etiam apud N.S.T. de significatione verbi "summarie" disputatum est.

Sunt enim qui censent illam quadam ambiguitate infici. Ita v. gr. Patronus Auctoritatis ecclesiasticae in Responsione diei 15 Novembris a. 2000 adsertam violationem legis negat, quia "documentum revocationis missionis canonici-

cae, tametsi non expressis verbis, implicite causas concretas continet, quoniam Rev.dus X easdem causas bene certoque scivit".

Cl.mus Patronus ambiguitate deceptus causas "summarie" expressas illis "implicite" (seu in-plicis) expressis aequat.

Quae aequatio inter duas locutiones, licet nonnullis casibus quadam rationalitate non careat, apud N.S.T. non invaluit.

Qua re etiam in hac causa voto P.I. adstipulati violationem legis in procedendo patratam esse dicimus, quia decretum Magni Cancellarii Universitatis N diei 26 Iunii a. 1998 motiva decisionis neque summarie, prout lex praecipit, expressit.

12. Tenet praeterea nova Patrona ex officio Recurrentis decretum diei 26 Iunii a. 1996 Magni Cancellarii legem quoque in decernendo violasse, quia iusta causa careret utpote consecretarium violationis legis in procedendo, de qua supra n. 10 actum est.

Nam omissa investigatione ad necessarias notitias atque probationes colligendas, Magnus Cancellarius Universitatis legem quoque in decernendo violasset.

Apprime iure meritoque animadvertit Promotor Iustitiae quod in hac causa plura asseruntur, sed pauca probantur. Attamen, uti suo loco ediximus, actis attente examinatis, Magnus Cancellarius, quin peculiarem investigationem institueret, notitias "necessarias" ac sufficientes ad edendum decretum revocationis acquisiverat.

Id indubitanter constat ex epistula diei 23 Maii a. 1997 ad Em.mum Praefectum Congregationis de Educatione Catholica datam in qua refert circa "[il] comportamento offensivo della dignità sacerdotale di docente universitario" Recurrentis, idque in epistula diei 28 Decembris a. 1998 confirmavit.

Item Rector Universitatis grave protulit testimonium litteris diei 22 Maii a. 1997, in quibus Recurrenti imputat "una tenace attività distruttrice della Facoltà della KU".

Addenda est actio qua iam anno 1986 Recurrens Decanum Facultatis coram Magistratu civili accusavit.

Indubitanter igitur Rev.dus X transgressus est bene moderatam conversationem quam docentes etiam extra moenia Universitatis servare debent, quia cum munere docendi quodam modo coalescit. Quae simul considerata satis superque "animum litigandi" Recurrentis commonstrant.

Concordant praeterea testimonia quae traduntur sive in epistula Exc.mi Praesidis Consilii Scientifici Conferentiae Episcopalis R ad ipsum Recurrentem missam die 10 Martii a. 1997, sive in "Declaratione" Senatus academici Universitatis diei 1 februarii a. 1997, quae aperte Rev.dum X accusat de "dichiarazioni non rispondenti al vero ed ad errate interpretazioni giuridiche".

Tandem animum coriaceum Recurrentis pandit modus turbidus quo per totum iter huius recursus sua iura vindicare intendit, haud exclusa suspicione

adversus H.S.T. Adserta violatio legis in decernendo ex parte Exc.mi Magni Cancellarii igitur fundamento prorsus caret.

13. Absolutis his quae pertinent ad adsertas violationes legis quae Magno Cancellario Universitatis imputantur, Nobis videndum est de assertis violationibus legis quoad decisionem Congregationis de Educatione Catholica.

Dicasterium, pendente iam recursum apud H.S.T., ad normam can. 57 § 3, citra terminum trium mensium, die 15 Septembris a. 1997, decretum Magni Cancellarii Universitatis N approbavit. Etenim praemissis praemittendis, scripsit: "haec Congregatio de Institutione Catholica declarat revocationem missionis canonicae Rev.do D.no X ab Exc.mo Universitatis Catholicae N Magno Cancellario illatam, ad normam iuris factam esse, ac proinde esse legitimam".

Conqueritur igitur Cl.ma Patrona ex officio Recurrentis praefatum Dicasterium Romanae Curiae legem in decernendo violasse.

Prae oculis habitis quae supra decrevimus de violatione legis in procedendo ex parte Magni Cancellarii Universitatis, patet quod Congregatio de Educatione Catholica decretum illegitimum approbavit ideoque in casu legem revera in decernendo violavit.

Consequitur quod revocatio absque denunciatione tempestiva contractus laboris, per se legitime data ad normam vigentis iuris peculiaris, ast super decretum revocationis missionis canonicae invalidum innixa, etiam illegitima evasit. De hac circumstantia praesertim circa reparationem damnorum ratio erit habenda.

Quoad violationem legis ex can. 51 CIC, Nostram decisionem confirmamus: cum impugnatum decretum Magni Cancellarii Universitatis diei 26 Iunii a. 1997 motiva decisionis summarie non expresserit, Congregatio errorem emendare nedum potuisset, sed debuisset. Qua re sive in procedendo sive in decernendo legem violavit.

Nam Ordinatio Generalis Curiae Romanae, quae servanda erat, in art. 120 § 1 praecipit: "I ricorsi gerachici alla Santa Sede contro i decreti amministrativi di autorità ecclesiastiche sono esaminati sia nella legittimità che nel merito dal Dicastero competente..", et in § 3 habetur: "Il Dicastero deve motivare le proprie decisioni circa i ricorsi esaminati, a norma del can. 51 del Codice di Diritto Canonico..".

Congregationis de Educatione Catholica ergo erat errores emendare, defectus sanare.

14. Accusatio denegati iuris defensionis coram Congregatione nullo documento suffragatur. Nulla lex praecipit, ad ius defensionis quod attinet, acta omnia partibus esse tradenda et iam vidimus Recurrentem ab initio controversiae, idest in remonstratione contra decretum diei 26 Iunii a. 1997, sua iura defendisse; praetera ipse coram Congregatione de Educatione Catholica documenta quaedam protulit, ex quibus patet quod motiva contra ipsum adducta comperta iam habuerat. De cetero normae vigentes circa recursus hierarchicos apud Romanam Curiam ad amussim servata sunt.

15. B Definita prima parte concordati

dubii, ad alteram de damnis reparandis est procedendum.

Constitutio Apostolica *Pastor bonus* de competentia Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, in art. 123, § 1, statuit: "cognoscit de recursibus intra terminum peremptorium triginta dierum utilium interpositis, adversus actus administrativos singulares sive a Dicasteriis Curiae Romanae latos sive ab ipsis probatos, quoties contendatur, num actus impugnatus legem aliquam in decernendo vel in procedendo violaverit", ac tandem in § 2 decernit: "In his casibus praeter iudicium de illegitimitate, cognoscere etiam potest, si recurrens id postulet, de reparatione damnorum actu illegitimo illatorum".

Ordinatio Generalis Curiae Romanae diei 4 Februarii a. 1992, in art. 129, § 4 fere verbo tenus eandem legem refert, dum can. 57 § 3 CIC quoad decreta singularia iam statuerat: "Responsum negativum praesumptum non eximit competentem auctoritatem ab obligatione decretum ferendi, immo et damnum forte illatum, ad normam can. 128, reparandi".

Iure ergo laudata Patrona ex officio Recurrentis damna a Rev.do X passa reparanda esse asserit, eo vel magis "cum id postulaverit". Immo autumat documenta ecclesiastica publica, idest decretum Magni Cancellarii Universitatis N diei 26 Iunii a. 1996 et declaratio Congregationis de Educatione Catholica diei 15 Septembris a. 1997 "immensum damnum" diffamationis illi procurasse. Cl.ma Rev.di Recurrentis Patrona tamen facto reparationem damnorum petiit "praesertim cum Rev.dus X a die illegitimae solutionis contractus laboris

seu a die 1 Iulii 1996 usque ad mensem decembrem eiusdem anni nullo munere functus sit".

16. Ex solutione contractus laboris violationes legis incurrisse Magnum Cancellarium et etiam Rectorem Universitatis iam decrevimus (cf. n.10). Cl.ma Patrona ergo recte contendit Recurrentem illegitime stipendio inde a mense iulio ad mensem decembrem a. 1996 privatum fuisse; ideo retributio quam per illud spatium temporis percipisset ab Universitate N Recurrenti solvenda est.

Abstinerunt benevolenter infrascripti Iudices ab inquirenda, iuxta diligentem animadversionem Promotoris Iustitiae, legitimitatem tituli "Professore Straordinario Università di A", quo Recurrens iam fruebatur adhuc pendente recursu coram Congregatione de Educatione Catholica, ne forte impediatur quominus infinita ac odiosa haec causa tandem concludatur.

17. Quid autem de reparatione damni moralis ob offensam bonam famam Recurrentis? Inter se comparatis canonibus 57 § 3 et 128, constare debet nexus inter actum iuridicum et damnum (morale) illegitime illatum; pariter accurate distinguendum est inter damnum dolo vel culpa per actum iuridicum illegitime illatum.

In hac controversia numerantur plures lites nedum coram auctoritate ecclesiastica, sed etiam coram Magistratu civili a Recurrente intentae.

Istae vero, quas Magistratus civilis ipse reiecit, in damnum famae Universitatis et Decani Facultatis promotae, tandem aliquando in ipsius Recurrentis damnum morale cesserunt, excluso quovis nexu cum recursu de quo agimus.

In caterva documentorum, praeter documenta quae consideranda sunt ad dubium concordatum solvendum, plurima inveniuntur quae animum litigandi Recurrentis amplius probant: ita v. gr. litterae accusatoriae Recurrentis contra Rev.mum Rectorem Universitatis et Rev.mum Decanum Facultatis Iuris canonici et Civilis Universitatis N, et modus scribendi protervus interdum usurpatus erga N.S.T.

Aptum igitur aestimandum est grave testimonium Rectoris Universitatis: Rev. dus X "non è uomo di pace" et "deve sempre lottare con qualcuno"; quae verba satis referunt publicam famam Recurrentis.

Nihilominus definitas per Sententiam violationes iuris morale quoddam damnum procurasse non est inficiendum, ideoque reparandum.

Omnibus igitur attente consideratis, atque aequo lance perpensis, statuimus damnum apte reparari per publicationem huius Sententiae definitivae, valvis Universitatis N ac praesertim Facultatis Iuris figendae.

QUIBUS OMNIBUS PERPENSIS

18. Infrascripti Patres pro Tribunali ad sententiam definitivam proferendam

sedentes, omnibus diligenter cribratis atque rimatis, Christi Nomine invocato et solum Deum prae oculis habentes, decreverunt proposito dubio esse respondendum atque respondent:

Constare de violatione legis in procedendo et in decernendo relate ad declarationem qua Congregatio de Educatione Catholica, die 15 Septembris a. 1997, confirmavit decretum quo Exc. mus Magnus Cancellarius Universitatis Catholicae N, die 26 Iunii a. 1996, Rev. do X missionem canonicam revocavit et consequenter Rev. mus Rector eiusdem Universitatis, die 2 Iulii a. 1996, contractum laboris cum Rev. do X initum solvit, ideoque damnum sive oeconomicum sive morale esse reparandum mensura et modo in Sententia statutis.

Hanc definitivam Sententiam cum omnibus quorum interest esse communicandam mandaverunt, ad omnes iuris effectus.

Ad expensas quod attinet, cautio 800.000 lib. ital. a Rev. do X in arcam nummariam H.S.T. deposita, retinenda est. Cum vero de violatione legis in decernendo ex parte Magni Cancellarii Universitatis N non constet, congruum honorarium ab utraque parte proprio Patrono est solvendum.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 24 Martii a. 2001
(Signati)

Marius Franciscus Card. POMPEDDA,
Praefectus

✠ Bernardinus Card. GANTIN
D. Simon Card. LOURDUSAMY
Ioannes Petrus Card. SCHOTTE

Gilbertus Card. AGUSTONI, *Ponens*

✠ Iosephus MIERCIECA

✠ Iulianus HERRANZ

✠ Philippus GIANNINI

✠ Aemilius EID

✠ Eduardus DAVINO

✠ Henricus MUSSINGHOFF

✠ Franciscus COCCOPALMERIO

✠ Thomas Georgius DORAN

✠ Xaverius ECHEVARRÍA RODRIGUEZ

Die 13 Aprilis a. 2002

Notificetur.

✠ Franciscus Xaverius SALERNO,
Secretarius

Vincentius CÁRCEL ORTÍ,
Moderator Cancellariae